

alias occasiones exoptet. Absque dubio enim totam hanc pecuniam sibi servare potest titulo inventionis; siquidem inter bona derelicta prorsus habenda est. Pie quidem et enixe ei suadendum, ut partem hujus lucri in pauperes, vel in causas pias largiatur. Quod si faciat, adhuc beator erit, atque centuplum pro vita æterna merebitur. Si autem consilio non obtemperet, ab omni peccato immunis erit. Solutio ex dictis in antecessum de rebus inventis sponte fluit.

531. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Neque tenetur pecuniam ipsi furi restituere, si forte postea cognoscatur. Res ex dictis in casu præcedenti liquet. Etenim fur pecuniam non reclamabit, ne ad judicem deferatur: ergo pecuniæ jacturam libentius subibit quam judicis pœnam; ergo hic et nunc pecuniam dimittit; ergo hæc pecunia instar bonorum derelictorum habenda est; ergo a PROSPERO servari potest. Deinde eam sibi suam facere fas est eo titulo, ut a fure denunciando absteineat. Denique, utrum ad furem pertineat minime constat. Ergo PROSPER inquietandus non est.

## CASUS XV.

DE RE INVENTA 7<sup>o</sup>.*Fures insigniter decepti.*

HORTENSIVS die quodam ex itinere placide revertebatur, insidens equo quem a RICARDO, amico suo, commodati titulo acceperat, cum, infausto casu, incidit in duos latrones, qui de more vitam aut crumenam ab eo requirunt. Ocius ille crumenam eligit tradendam. Sed cum fere vacua foret, latrones et equum ab eo auferunt, et aufugiunt. Gemebundus pedester revertitur ad RICARDUM, ut infortunium ei referat. Ast non adeo infelix exitus erat futurus. Etenim, cum latrones ingentem saccum nummis et aureis refertum, in perula ad collare equinum pendula, reposuissent, ut tanto pondere se exonerarent, ecce *bucephalus* noster, latronibus posterioribus pedibus consalutatis, velocissimo cursu iter dimittitur, et ad proprium stabulum mox adstat. Exclamare BERTA, ancilla, stabuli januam equo aperiens! mirari TITIVS, advena, hic casu adstans! BERTA thesaurum detegit; TITIVS illum accipit ignorans quid rei esset, et ad domum RICARDI defert. Quid vero de HORTENSIO? Ecce interea apparet iste tristissimus; sed mox evadit gaudiosus, rescians quid evenisset. Sed ecce lis magna exoritur! Quid de pecunia faciendum? Eam reclamat ancilla, quæ prior eam detexit; reclamat quoque TITIVS qui eam accepit; reclamat magis HORTENSIVS, totius rei causa, titulo compensationis, pro accepta injuria; sed reclamat maxime RICARDUS, quia hanc pecuniam ipsi attulit equus suus, innixus principio: *Res fructificat domino*. Hoc dicens RICARDUS impiger pecuniam arripit, et in proprio ærario recondit.

HINC :

QUÆR. *Quid de casu? seu cui pecunia? an ancillæ? an Titio advenæ? an HORTENSIO? an RICARDO domus domino?*

## SOLUTIO :

532. — *R. ad casum.* Res difficultate non caret.

1<sup>o</sup> Ancilla nihil reclamare potest. Etenim, respectu ejus, pecunia neque est res inventa, neque occupata, siquidem, quando saccum nummis refertum detexit, minime sciebat quid hoc esset, et num ab ipso HORTENSIO ibidem collocatus fuisset. Proinde ne cogitavit quidem de re occupanda, et sua facienda; imo nec de hoc cogitare potuit.

2<sup>o</sup> Neque TITIVS, qui pecuniam e stabulo ad domum RICARDI detulit, majori jure potitur in pecuniam, ob easdem rationes; siquidem animum eam occupandi non habuit, nec habere potuit, cum quid rei esset nesciverit. Ergo inter HORTENSIVM et RICARDUM lis tota restringenda est.

3<sup>o</sup> HORTENSIVS neque ipse ad hoc solatium pro tanto infortunio præterdere potest. Nihil ipsi, præter summulam qua fuit spoliatus, tribuendum est. Etenim quid invenit miser? Invenit latrones, et præterea nihil. Quid occupavit? Nedom quidpiam occupaverit, ipse infeliciter fuit spoliatus. Quod autem ad pecuniam spectat, res tota præter eum, et, eo inscio, peracta est. Ergo nihil ipsi retribuendum, nisi id quod antea habebat. Nec dicas eum fuisse causam rei totius, et proinde felicem sortem sicut infortunium ei cedere; nam non fuit causa, sed mera occasio hujus boni eventus: ergo in eum minime redundare debet.

533. — 4<sup>o</sup> RICARDUS vero, domus et equi dominus, potest, ut videtur, ipse solus totam pecuniam sibi tribuere. Etenim res quæ pro derelicta habetur, fit *primi occupantis*: porro eam occupavit per equum suum; est enim effatum: *Canis suus pro Martino venatur*. Ergo et equus pro RICARDO. Occupavit etiam ipse realiter pecuniam, dum in media contentione eam sibi tribuit. Præterea ad nullum ex contententibus nummi et aurei pertinent; cum nullus illos occupaverit, nec animum occupandi primum habuerit. Ergo ipse solus restat dominus.

*Dices*: RICARDUS non potuit rem occupare, neque *per equum*, quia non est modus occupandi, neque *per se*, quia non potiebatur majori jure ac aliis ad occupandum; ergo pecunia pauperibus, vel causis piis eroganda est. *Respondeo*: Occupatio RICARDI videtur sufficiens, attentis omnibus circumstantiis collective sumptis. Insuper quælibet res derelicta, quæ dari potest pauperibus, etiam ab inventore sibi retineri potest. Suadendum tamen enixe foret, ut hæc pecunia in pias causas impenderetur.

NOTA. In solutione casus res supponitur vere derelicta.

Si audiretur igitur totum pecuniæ saccum alicui domino noto surreptum fuisse, et constaret ad illum pertinere, v. g. ex aliquo signo indubio, cumulus ille totus ipsi restituendus foret. Haberet enim ut res in individuo ad dominum clamans.

## CASUS XVI.

DE PRÆSCRIPTIONE 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> DAMASUS emit bona fide scyphum argenteum a fure. Illum tribus annis inter res suas habuit; tandem vendidit. Comparet autem subinde dominus et scyphum repetit; sed DAMASUS præscriptionem ei opponit.

2° RANULFUS, mala fide, possedit pratum, ex quo decem annis percepit fenum. Moritur RANULFUS. RENATUS, ejus filius, ut hæres, ei succedit. Hic, ignorans malam fidem patris, pergit pratum possidere, et fenum colligere etiam per decem annos. Tandem pratum vendit, et ex pretio aliud sibi magis opportunum emit. Emptor prioris prati illud decennio, bona fide, possidet, et emolumentum percipit. Denique verus dominus prati illius detegitur.

HINC :

QUÆR. 1° An DAMASUS dominium scyphi acquirere potuerit vi præscriptionis, in primo casu?

2° An RENATUS, hæres RANULFI, potuerit pratum et fenum præscribere, in secundo casu?

3° An emptor prati illud præscripserit?

SOLUTIO :

534. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. DAMASUS legitime præscriptionem opponere potest; adsunt omnes conditiones ad præscribendum requisitæ, scilicet possessio, titulus, bona fides, tempusque pro mobilibus requisitum.

R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. RENATUS præscribere non potuit, cum hæres sit titulo universali, quia vitium possessionis patris pergit afficere possessionem filii, ex eo quod de jure unicam personam moralem efficiant. *S. Lig. n. 512. Lacroix, n. 490.* Excipe, nisi filius per 30 annos pratum bona fide servaverit, saltem *probabiliter*; lex enim statuens vitium possessionis auctoris afficere etiam possessionem hæredis titulo universali, respicere videtur tantum *ordinarias*, non vero *longissimi temporis* præscriptiones. *Gousset, n. 720.*

535. — R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Emptor prati certo illud præscripsit, quia ipse gaudet omnibus conditionibus ad præscribendum requisitis; possessio enim decem annorum cum bona fide satis est ad præscribendum immobile *per se*, seu inter præsentis. Nec vitium possessionis RANULFI et filii ejus RENATI transiit ad illum tertium qui pratum emit, siquidem vitium auctoris non afficit nisi ipsos hæredes titulo universali. *V. Comp. n. 584 et seq.*

### CASUS XVII.

#### DE PRÆSCRIPTIONE 2°.

1° SYLVINUS, titulo hæreditatis, possidet a novem annis cum dimidio prædium pertinens ad duos diversos dominos, scilicet PETRUM et PAULUM. Nescio autem quo titulo, PETRUS detegit se jus partiale ad rem habere, hocque coram iudicibus repetit, et obtinet. Sex elapsis mensibus reclamatur quoque PAULUS; sed ipsi opponitur præscriptio.

2° HIPPOLYTUS, bona fide, possidet domum quæ pertinet ad duos fratres JOANNEM et JACOBUM. Post novem annos JOANNES possessionem impugnat cum titulo deformi ob lituram, et nihil obtinet. Elapso autem decennio integro, JACOBUS, felici casu, invenit exemplar tituli proprii authenticum, absque lituris exaratum, ex quo probatur prioris tituli validitas. Statim domum reclamatur. Sed HIPPOLYTUS præscriptionem opponit.

3° MEDARDUS prædium per novem annos bona fide possessum, GUSTAVIO hæredi suo, moriens reliquit. Duobus annis elapsis, VICTORINUS probavit prædium istud ad se pertinere, et ejus restitutionem repetiit. Restitutionem recusat GUSTAVIUS, in jure præscriptionis innixus.

HINC :

QUÆR. 1° An valeat præscriptio SYLVINI, in primo casu?

2° An HIPPOLYTI, in secundo casu?

3° An GUSTAVII, hæredis, in tertio casu?

SOLUTIO :

536. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Dist. Si duo domini jus habeant ex eodem titulo communi, SYLVINUS præscribere non potest, quia bonam fidem ex iudicis sententia amittere debuit. Si vero duo domini jus habeant ex titulo distincto, fieri potest ut SYLVINUS in bona fide permanserit, et præscribat.

R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. HIPPOLYTUS vere præscripsit. Ejus enim possessio non fuit formaliter interrupta, quia, licet lis mota fuerit, adversarius tamen a iudice repulsam passus est. Accedit quod titulus authenticus, a JACOBO allatus, tardius inventus es, siquidem jam tunc præscriptionis tempus effluerat.

537. — R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Valet præscriptio GUSTAVII, hæredis, quia prosequitur et complet tempus ab antecessore inceptum.

Idem dicendum esset, si GUSTAVIUS prædium ex contractu venditionis habuisset. Tempus enim variorum possessorum conjungi potest ad efficiendam præscriptionem, modo omnes bona fide rem detinuerint. *V. Comp. n. 582 et seq.*

### CASUS XVIII.

#### DE PRÆSCRIPTIONE 3°.

1° REYMONDUS, filius minor, fide optima, rem furtivam a tutore ex publice mercatore emptam possidet. Elapso autem tempore ad præscriptionem requisito, ecce, nescio quo casu, tutorem suum, qui ipsius nomine emerat, minime ignorasse eam rem furtivam esse detegit. Hinc REYMONDUS dubius quærit utrum eandem rem titulo præscriptionis retinere valeat?

2° SABINUS MARTINO, filio suo, universali legatario, reliquit gemmam valde pretiosam, quam LUCIANO subripuerat. Elapsis triginta annis, casu inopinato, agnoscitur gemma, et reclamatur ab ipso LUCIANO. Ast ejusdem restitutionem denegat MARTINUS ratione præscriptionis.

3° EUGENIUS novit patrem agrum alienum bona fide possidere. Tacet ille. Præscribit pater, et paulo post moritur. Filius vero, ejus hæres, agrum possidet, et retinet.

HINC :

QUÆR. 1° An REYMONDUS possit rem retinere in primo casu?

2° An MARTINUS, hæres, gemmam servare queat in secundo casu? et quid si eam alteri vendidisset?

3° An EUGENIUS agrum legitime servet?

## SOLUTIO :

538. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* REYUNDUS rem possessam tuta conscientia titulo præscriptionis servare potest : gaudet enim omnibus conditionibus ad præscribendum requisitis; nec mala fides tutoris ejus bonam fidem infirmare potest. Ipse enim proprie possidet; in possidente autem, et non in alio, bona fides requiritur. Tutor vero minime eximitur a damno erga dominum cognitum, defectu furis, reparando, scilicet ratione cooperationis. *Gousset, n. 722.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* MARTINUS *probabiliter* præscribere potest, si ipse toto tempore fide bona gemmam servavit, quia agitur de præscriptione *extraordinaria*, seu *longissimi temporis*, pro qua auctor et hæres unicam personam moralem constituere fictione juris non amplius censentur. Secus vero, si de præscriptione ordinaria ageretur. Si gemmam vendidisset MARTINUS, decurrente possessione, ante 30 annos, emptor per triennium præscripsisset, quia per se possessionem bonæ fidei inchoasset et perfecisset. Idem foret dicendum de ipso MARTINO, si fuisset hæres particularis.

539. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* EUGENIUS, licet graviter peccaverit contra caritatem omittendo patrem de injusta possessione admonere, non peccat tamen nunc contra justitiam agrum retinendo. Etenim vere præscripsit pater, siquidem nulla conditio in ipso deerat ad præscribendum : ergo filius, hæres, legitime possidet; accepit enim a patre id quod vere vi præscriptionis ad patrem pertinebat; nam pater omnia sua jura in filium transtulit : ergo transtulit dominium agri quod juste possidebat. *Gousset, n. 721. — Comp. n. 582 et seq.*

## CASUS XIX.

DE PRÆSCRIPTIONE 4<sup>o</sup>.

QUIDONIUS, artifex, horologium portatile 100 constans francis REMBOLDO confecerat. Differtur solutio ab emptore per menses et annos. QUIDONIUS timens ne ejus offensam incurreret (erat enim ille vir dives et potens) petitionem solutionis omisit. Sed elapsis 6 vel 7 annis, REMBOLDUS repente e vivis excessit. QUIDONIUS vero ocius horologii pretium repetit ab hæredibus, qui, præscriptionem opponentes, nolunt vel obolum solvere.

## HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An QUIDONIUS pretium horologii repetere possit?*

2<sup>o</sup> *Quid si hæredes REMBOLDI fuerint in bona fide per notabile tempus?*

## SOLUTIO :

540. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Certissime QUIDONIUS pretium horologii repetere potest, et hæredes illud solvere debent, si debitum noverint, vel probetur. Nec possunt præscriptionem opponere. Ratio est, quia debita non præscribuntur, nisi per 30 annos et quidem cum bona fide. Porro REMBOLDUS utraque hac caruit conditione; debitum enim non existit nisi a 6 vel 7 annis, ut dictum est, neque debitor per negligentiam in debito persol-

vendo in bona fide constitui potuit. Ergo nullatenus præscripsit ipse; ergo hæredes prescriptionem opponere nequeunt; ergo debitum solvere debent, si de eo liquido constat.

541. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Neque hæredes præscribere possunt, licet in bona fide fuerint per notabile tempus. Ratio est, quia in eos transivit mala fides auctoris; siquidem ex jure censentur unicam personam moralem efficere cum eo, juxta dicta supra n. 534. Excipitur *probabiliter* casus in quo bona fides eorum, per 30 annos a morte testatoris, perseverasset. Sed hæredes de quibus agitur in casu, a tali tempore longissime distant. Ergo a debito solvendo excusari nequeunt, nisi illud ignoraverint, et nunc probari non possit.

## CASUS XX.

DE PRÆSCRIPTIONE 5<sup>o</sup>.

MARINUS domum ROBERTI vi contractus locationis tenet. Per 10 annos, non reclamante locatore, redditus annuos solvere ex incuria omiserat, cum tandem creditor debitum repetit. Quid tunc debitor? Pergit ad consulendum advocatum, ut sciat an teneatur integram pensionem a 10 annis solvere? Respondet jurisperitus eum obligari tantum ad solvendo redditus locationis a 5 ultimis annis, et pro tempore remotiore posse vi legis præscriptionem opponere. Huic consilio obtemperavit, frustra mussitante et conquerente ROBERTO. Sed postea, cum MARINUS ad confitendum accessisset, Confessarius eum obligavit, sub pœna denegandæ absolutionis, ad integram restitutionem locatori faciendam.

## HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An MARINUS possit præscriptionem opponere, seu an valeant in conscientia præscriptiones legales quinque annorum liberativæ ex Jure Gallico?*

2<sup>o</sup> *Quid de præscriptionibus brevissimi temporis, v. g. duorum annorum, unius anni, sex mensium?*

## SOLUTIO :

542. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* MARINUS prescriptionem minime opponere potest. Habendus est sicut alius debitor quilibet. Præscriptiones quinque annorum valere quidem possunt, sicut aliæ, posita bona fide, si debitor sit in ignorantia invincibili debiti, toto quinquennii tempore; non vero valere possunt pro debitoribus qui ipsimet debitum contraxerunt, siquidem bona fide requisita destituuntur: ergo soli hæredes, vel mediati possessores præscribere possunt per bonam fidem, completo legis tempore. Hinc patet quam falsa sit solutio opposita quæ sæpius ab advocatis et a nonnullis Theologis datur, interrogantibus ipsis debitoribus, etulantibus utrum ad solutionem teneantur.

*Obj. 1<sup>o</sup> Lex intendit punire negligentiam creditoris qui non reclamavit. — R. Jocar! ubi est delictum puniendum? Quis est magis reus, an creditor vel ipse debitor? Cuinam est agere? Nonne creditor mere passive se*

habet? Numquid obligatione aliqua ligatur? Unde probas eum debere esse sollicitum ad reclamandum? Debitor premitur obligatione solvendi, et ad hoc ipse sollicitus esse debet. Præterea quot inveniuntur qui non cessant reclamare apud debitorem, et non impediunt quin ab isto postea præscriptio opponatur! *Sed dicis*: Reclamatio non est juridica. — *R.* Numquid igitur obligatio datur ad lites, sub pœna amittendæ solutionis? Insuper, numquid lex civilis supplere potest bonam fidem quæ a Jure canonico in omni casu requiritur?

*Obj.* 2º Lex intendit præcavere ne debitor nimis gravetur debitis cumulatis, et ideo statuit præscriptionem liberativam ultra quinquennium. — *R.* Inanis objectio! Numquid non sufficit ut finis ille obtineatur, quod lex recursum externum denegat, seu reclamationem in foro externo non audiat? Nec obstat quod remaneat obligatio in foro interno, siquidem impotentia moralis ad tempus debitorem excusat. Ergo debitor nunquam poterit ultra vires gravari, etiamsi in foro interno ab omni obligatione non liberetur.

543. — *R. ad 2º Quæ.* Præscriptiones triennio minores, quales habentur in Jure Gallico, v. g. biennii ad præscribenda stipendia advocatorum, unius anni pro stipendiis medicorum, famulorum, sex mensium pro stipendiis operariorum, hospitem, etc., istæ, inquam, præscriptiones liberativæ, quæ dicuntur *brevissimi temporis*, non sunt præscriptiones *proprie dictæ*, sed tantum denegatio recursus in foro externo. Constat: 1º ex motivo legis, quod est præsumptio solutionis; 2º ex praxi proborum, qui nunquam tali præscriptione uti vellent; 3º ex *art. 2275 Cod. Gall.* ex quo creditores a debitoribus juramentum exigere possunt de peracta solutione, non obstante lapsu temporis præscriptionis. Frustra autem juramentum requireretur, si præscriptio ad debitum extinguendum sufficeret. *Ita Carrière, n. 427, post melioris nominis juristas.*

## CASUS XXI.

## DE PRÆSCRIPTIONE 6º.

GIRINUS, olim dives mercator, infeliciter omnium fere bonorum jacturam fecerat. Sed ecce! die quadam, summo mane, prospero casu, crumenam nummis aureis refertam reperit. Cum vir probus foret, nihil intentatum reliquit ut dominum inveniret. Verum, cum diu multumque frustra quæsiisset, sibi eam propriam fecit, et cum inventa hac pecunia negotiari cœpit, et ita feliciter, ut brevi tempore magnum lucrum fuerit adeptus. Quatuor vero elapsis annis, iter agens socium habuit SABINUM, mercatorem alium, qui inter eundem narravit se quatuor annis antea crumenam nummis aureis refertam in hoc ipso portu amisisse, et cum e littore profecta fuisset navis, se consistere non potuisse ad eam inquirendam. Ex omnibus narrationis adjunctis, certo noscit GIRINUS inventam a se pecuniam ad illum mercatorem pertinere. Tacitus tamen rem alto premit silentio, et pecuniam titulo præscriptionis sibi servat.

HINC :

QUER. 1º *An merito GIRINUS hanc pecuniam potuisset suam facere, non invento domino?*

QUER. 2º *An, noto domino, potuerit nihilominus eam servare titulo præscriptionis?*

SOLUTIO :

544. — *R. ad 1º Quæ.* GIRINUS *probabilius* rem sibi servare potuisset, si, facta diligentia gravi et adæquata, seu valori pecuniæ proportionata, dominus non comparuisset, quia tunc res illa haberi posset tanquam nullius, et quæ proinde fieret primi occupantis. *Recole dicta supra, n. 516. — V. etiam Comp. n. 578.*

545. — *R. ad 2º Quæ.* *Controvertitur*, utrum inventor ipse præscribere possit. Prima sententia communior negat. Ratio est, quia inventor caret bona fide requisita ad præscriptionem. Non potest enim rem possidere ut suam, decurrente præscriptionis tempore, quia debet constanter habere animum restituendi, si forte compareat dominus. Etenim, si inventor interrogaretur tunc temporis, an vellet domino comparenti rem restituere, respondere deberet se velle; ergo rem non possidet unquam ut suam. *V. Reuter, Cas. conscientiæ. part. 3, cas. 21.* Secunda sententia *probabilis* affirmat, quia ubi nulla spes dominum inveniendi affulget non obstante gravi diligentia adhibita, ab eo dominium rei moraliter amittitur. Igitur inventor incipere potest possessionem animo rem inventam retinendi ut propriam. *Ita Elbel, n. 172. — Sporer, de inventione, n. 187. — Pichler, et alii.*

## CASUS XXII.

## ALLUVIO.

Dum mulieres cujusdam pagi, autumnali tempore, linum collegerant, et in pratis, de more, juxta fluminis ripam extenderent, ut rorem et vicissim solem imbiberet, ecce! suborta inopinata tempestate, diluvio aquarum repente intumescens flumen in prata late diffunditur. Linum vero fluctibus abstrahitur atque præceps juxta fluminis cursum devolvitur. Pars tamen in sepes projicitur, pars alia rotis vicini molendini inhæret, vel muris domus cohibetur. Sedata autem hac tempestate, ecce alia vehemens exoritur tempesta, nempe mulierum ejulatus, ploratus, lamentationes et querelæ. Quæque lini residua ut sua certatim arripiebat. Interea molendinarius cum uxore sua utraque manu in domum attraheant quidquid lini ipsis occurrebat, titulo alluvionis et occupationis.

HINC :

QUER. 1º *An mulieres possint accipere quidquid occurrebat? vel quid esset faciendum?*

2º *Quid, si una mulier fateatur se plus, vel saltem eamdem lini quantitatem rapuisse, quam non supposita inundatione habuisset, dum sciret alias multo minus habuisse?*

3º *An molitor et ejus uxor potuerint accipere linum aquis ad se asportatum?*

4º *An ligna vel aliæ res, inundatione longe transvectæ, sint primi occupantis?*

## Solutio :

546. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Nego.* Ratio est, quia commixtio facta non est communi consensu, sed casu contra mulierum voluntatem: ergo dominium non factum est commune, sed manet penes illas ad quas ante permixtionem pertinebat; ergo non licet cuilibet mulieri rapere omnem lini quantitatem quam capere potest, sed tantum eam quam ante commixtionem habebat: imo minus accipere debet, quia, ut ex casu apparet, magna pars lini dissipata est, et ex tota massa deficit. Unde hujusmodi controversiæ communiter arbitrio judicis dirimendæ sunt, *ex æquo*, id est *pro rata* quantitatis lini ad singulas mulieres pertinentis, seu pro ratione jugerum agrorum ex quibus linum collectum est. *Elbel, n. 233.*

547. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* In hoc casu talis mulier a Confessario adigenda est ut illum excessum sibi indebitum restituat, in quantum moraliter fieri potest, aliis mulieribus, quæ proprio de lino nihil, vel certe multo minus ac ipsis erat debitum, acceperunt.

548. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Molitor nihil prorsus prætere tendere potest titulo alluvionis; quia nomine alluvionis non intelligitur omne emolumentum, aquarum impetu alicui adductum, sed incrementum terræ, seu soli, ab aquis paulatim uni prædio ademptum et alteri adjunctum. Ergo molitor id omne quod accepit restituere debet iis qui quod suum erat non receperunt, quia omnis injuste proximum damnificans ad damni reparationem tenetur. *Elbel, n. 232.*

549. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. Per se affirmative,* si vere ut res derelictæ habeantur, scilicet, si domini penitus ignorentur. Communiter res ejusmodi agglomeratæ per magistratum publicum in commodum municipii venduntur. *V. Comp. n. 591.*

## CASUS XXIII.

## SPECIFICATIO ET COMMIXTIO.

SILVERIUS, vir improbæ conscientiæ: 1<sup>o</sup> lanam alienam furatus est, ex qua curavit fieri pannum; 2<sup>o</sup> aliena frumenta et pecunias surripuit, et ea statim suis miscuit. Sed ecce vix id fecerat, cum grande infortunium ei supervenit; domus enim ejus incendio absumitur, pannus et frumenta comburuntur, et pecunia in medio tumultu aufertur. Quare ille qui *ditescere* voluit, factus est *minus habens*.

## Hinc :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quid sit SPECIFICATIO et COMMIXTIO rerum, et earum efficacia quoad dominium?*

2<sup>o</sup> *An SILVERIUS, per operam suam specificationis et commixtionis, factus sit dominus panni, frumenti et pecuniæ?*

3<sup>o</sup> *Ad quid nunc teneatur?*

## Solutio :

550. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> *Specificatio* haberi dicitur, quando nova corporis species ex aliena materia per artem conficitur. Tunc ex *Jure Ro-*

*mano*, si res in pristinum statum restitui non possit, res pertinet ad artificem qui tenetur pretium materiæ solvere, et damna, si quæ sint, compensare. Ex *Jure vero Gallico*, dominus materiæ novam speciem repetere potest, laboris pretium solvendo. Si tamen pretium industriæ longe superet pretium materiæ, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiæ pretio. Si artifex mala fide egerit, damna domino illata reparare tenetur.

2<sup>o</sup> *Commixtio* dicitur quando res ad diversos pertinentes dominos miscentur. Tunc, si res mixtæ possint dignosci et separari, separentur; si vero non possint dignosci, res communis erit dividenda *pro rata* quantitatis propriæ singulorum. Attamen dominus materiæ præstantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione. Quod si res mixtæ sint omnino inseparabiles, et circiter æquales, compositum vendatur, et pretium dividatur.

551. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Ex *Jure Romano* SILVERIUS, factus est dominus panni propter *specificatignem*, et frumenti atque pecuniæ propter *commixtionem*, supposita re furis in majori quantitate, ut verisimile est; sed tenetur ad adæquatam compensationem, seu injuriæ reparationem.

Ex *Jure Gallico*, idem dicendum de frumento et pecunia commixtis; sed dominus lanæ pannum repetere potest, data specificationis, seu artis, solutione; secus satis erit si SILVERIUS pretium lanæ solvat.

552. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* In casu, SILVERIUS, cum fuerit possessor malæ fidei, tenetur ad solvendum pretium lanæ et frumenti, et ad restituendum pecuniæ valorem. Teneretur etiam ad alia damna reparanda, si quæ secuta fuissent, ex eo quod dominus læsus re sua caruisset.